

**Q**UOD TUÆ MAJESTATIS Li-  
mina salutem, atque indice Affectus  
submissi tantum Regem Patronum hu-  
militer legam, non una, utut extero,  
mihi Causa. Quoties enim munus Beneficii illius  
æternum deprædicandi, quod ex Sueonum Gente  
collatum sinceræ Religioni nutanti in Germania, Li-  
bertati priscae propemodum ad servitutis cujusdam  
durioris confinia declinanti, contemplor, toties No-  
men MAGNI GUSTAVI ADOLPHI veneror,  
& ad Septentrionis Coronam Sceptrumq; cum sua-  
vi quadam Animi admiratione reflecto. Quoties  
nobilium Imagines & Umbras adhuc in mentis meæ  
sacrario fixas, qui meæ informationi se submiserunt,  
& eâdem quadrâ usi, conversationis amœnæ co-  
piam indulserunt, intueor, atque respecto, toties  
redit in præcordia Virtus, quæ genium Gentis lucu-  
lenter expressit. Quoties Theologiæ deditorum  
recordor, qui illibatæ fidei fundamenta in nostra  
Universitate partim posuerunt, partim magno cum  
fructu auxerunt, toties mihi & nostræ Matri Aca-  
demix gratulor de Symphonismo in Veritatis di-  
vinæ Negotio. Verum hæc omnia transcendit Fa-  
ma, quæ non ficti, sed veri tenax, de SERENISSIMÆ  
TUÆ MAJESTATIS Propensione in Religionem *γνησίως*  
Chri-